

## §. XXXIV.

Ad dignitatem necessitatemque totius practicae philosophiae rite agnoscendam, hoc sufficit, quod animi morbis medeatur, viam ad felicitatem pandat, actionesque hominis dirigat.

## §. XXXV.

In tractandi ratione Medicorum filios imitabimur, & primo hominem, deinde morbos, quibus vexatur, summamque eius miseriam, considerabimus. Hinc sanitatem mentis, hoc est summam veramque felicitatem ediffereamus: signa quoque indicabimus, ex quibus mentis constitutio, & propensio ad bona aut mala, diiudicari possit. Tandem quae ratio sit morbos mentis, praecipuae voluntatis, expellendi, veramque felicitatem consequendi, subiungemus. Et hisce quidem Ethica absolvitur.

## §. XXXVI.

Ast vero medica ars non tantum aegrotos sanitati restituit, sed sanis etiam, habita ratione aetatis, sexus, aliarumque περιελάσεων, vivendi regulas praescribit, partim ad sanitatem conservandam, partim ad morbos imminentes evitandos. Quod qua ratione ceterae practicae philosophiae partes exequantur, suo loco docebimus.

CAP.